

THESES
EX VNIVERSA
MEDICINA SELECTÆ,

In Templo D. Caroli discutiendæ

QVAS

SERENISSIMO

FRANCISCO II.

MVTINÆ, REGGII &c. DVCI.

IACOBVS FERRARIVS


D. D. D.





MVTINÆ,

Typis Hæredum Cassiani 1683. *Superiorum Permissu.*



DVX SERENISSIME.

QVoniam in litteraria palæstra non minùs quam in Monomachia, Dux Serenissime, perantiqua viget consuetudo sibi aliquem assumendi Patronum, sub cuius tutela, & auspicio pugnæ proximè accinctus, & galeatus arenam ingrediatur, mihi non admodùm laborandum fuit circa huiusmodi Patroni delectum, qui in hoc genere pugnæ Victoriam solo nomine auspicaretur. Tu enim primò occurristi Principum Decus, & Ornamentum, ad cuius adspectum cum tot doctissimis Viris, Hippocratica dogmata propugnaturus, quamuis satis imparem congressum suscipere non vererer. Cur enim timeam huic certamini me committere, cum in Philosophica arena duobus ante hac annis, te auspice, satis fœliciter euaserim? Cur sub Estensium Aquilarum vmbra litterarum cultoribus ad tot sæcula adeò

familiari , hanc aleam experiri non liceat? Sub tuo auſpicatiſsimo nomine iacta ſunt huius Lycei fundamenta , tua effecit prouidentia , vt ſtudioſa Iuuentus in ipſo Parentum ſinù quamcumque nobiliorem diſciplinam ſibi poſsit ſatis commodè comparare, adeò vt quiſque ſuam culpet ſocordiam , niſi quàm citiſsimè in Virum doctum emergat ; de tua bonitate Virgilianum illud pronunciari poteſt.

——— Hæc nobis Deus otia fecit.


Me igitur quam libenter in hoc Theatro Celſitudini tuæ ſpectaculum præbeo , expectans interim (ſed tuæ beneficentiæ munere , quando hanc Spartam adornare cæpiſti) in hoc ipſo Lyceo Doctoralem lauream , certus quamcumque aliam reſpuere , quam non offerat Mutinenſe Athenæum. Vale.

Celſitudinis tuæ Sereniſsimæ

Humil. & Obſeq. Seruus, & Subditus.

Iacobus Ferrarius.

Medi-



I.


Edicina Artis nomine a Diuino Præceptore nuncupata, meritò a numero Scientiarũ excluditur, tum quoad partem speculatiuam, tum quoad practicam; quamuis re vera, hæc medicinæ diuisio in Praxim, & Theoriam non subsistat, cum omnia in hac Arte, sint practica.

I I.

REctè definitur ab Hippocrate Medicina, quod sit Adiectio, & Detractio; si tamen placeat aliqua diffusior definitio, non incongrua erit ista, quam affert doctissimus Hoffmanus. Medicina est facultas perspiciendi quidquid in quaq; ęgritudine, comprehensa latitudine Sanitatis excogitari potest idoneum ad sanandum.

I I I.

SOlum corpus humanum est Artis huius subiectum, non omne egrum, & sanabile, & hoc ad excludendum a


Medicina Artem Veterinariam, cum humanum corpus vel quatenus ſanabile, vel morbis obnoxium, non ſit medicinæ ſubiectum ſed ſolum ſub tota latitudine Sanitatis conſideratum. Differt tamen ſubiectum medicinæ à cęterarum Artium ſubiectis, quòd non ſolùm ſit paſſiuum, ſed etiam actiuum; Quare prorſus intolerabilis, eſt nonnullorũ Iactantia, qui ſanationes morborũ ſuæ ſolertiæ, & ſuis Panaceis adſcribunt, cum re ipſa primæ partes debeantur Naturæ, & vix ſecundæ Medico.

IIII.

FInis medicinæ, quatenus eſt habitus practicus, comuniter quidem ſtatuitur quòd ſit ſanitas vel conſeruanda, vel recuperanda, ſed malè; nam niſi alter præſtantior finis aſſignetur, valde difficile erit illum ſcopulum euitare, ne ſcilicet vnicæ arti duplex finis adſcribatur.

V.

DEfinitio Platonica Sanitatis, quà definitur, Sanitas eſſe concordia, & commoderatio inter Animam, & Corpus, reliquis omnibus, quæ adhuc habentur, eſt præferenda.



VI.

RAtiones, & argumenta, quæ ſolent adduci ad quaternarium numerum elementorum adſtruendum, & demonſtrandum omnia corpora mixta ex ipſis conflari, nihil euincunt.

VII.

COrporũ inflammabilitas nõ exigit neceſſariò alicuius ſubſtãtiæ vnctuoſæ, vel ſulphureæ mixturã, cum videamus corpora quædam omni ſulphure deſtituta, flammam poſſe concipere.

VIII.

TEmperamentum ad Iuſtitiam, cuius baſis eſt medium Geometricum, ſolum quoad myxim, non quoad craſim admittimus; Temperamentum verò ad pondus, velut quid commentitium, & imaginarúm prorſus reijcimus.

IX.

HVmorum noſtri corporis non minus certus, ac demonſtrabilis eſt numerus, & temperies, ac elementorum quaternarius cui innititur; Tota enim cruoris

massa innumeris scatet particulis, vt salinis, acidis, austeris, muriaticis, & similibus, quæ ad vulgatum humorum numerum referri non possunt.

X.

CVm de spiritibus doctrina apud Medicos valde dubia, & incerta sit, dum alij Spiritus in suas classes distingunt, scilicet in Naturales, Vitales, & Animales, iuxta triplicem quam supponũt facultatem, Naturalem in Hepate, Vitalem in Corde, Animalem in Cerebro; & alij vnum tantum spirituũ genus admittant, Vitalium nempe; ad dirimendas huiusmodi controuersias, omne prorsus spirituum genus probabiliter tolli potest.

X I.

QVamuis apud Medicos nihil sit magis incertũ, quam doctrina de vsù partium, cum iuxta Medicorum placita, & genium, inter partes continua fiat officiorum mutatio, ita vt aliæ ad viliora ministeria deijciantur; aliæ ad sublimiores gradus euehantur; Attamen Hepatis vsum statuimus, vt sit Vasorum fulcimentum, non principium sanguificationis, seù bilis secretionis; Lienis vt sit vitalis fermenti Promptuarium, non fœculenti humoris receptaculum; Vesicæ biliariæ, non vt bilem ab hepate recipiat, sed ab Arteria Cystica receptam bi-

lem

lem partim ad Hepar, partim ad inteſtina tranſmittat: Ventriculorum Cerebri,vt ſint mera pituitosæ materię receptacula,non ſpirituum animalium Officinæ.

XII.

COr nullam habet ſuper cæteras partes principatum, ſed potius eſt Organum ſeruile circũlationi ſanguinis deſtinatum,ità vt ſupra ſortemMuſculorum non aſſurgat.

XIII.

NOn minus euidens eſt moueri ſanguinem circulari motù à corde per arterias,& per venas ad ipſumCor remeare, ac euidens eſt in magno mũdo moueri & protrudi aquã per ductus ſubterraneos à mari vſque ad extremitates montium,& per flumina ſuper terram ad ipſum Mare remigrare; In huiuſmodi motu circulari vita noſtra conſiſtit,cum tamdiù vita perduret,quamdiù circularis motus ſeruatur.

XIV.

ARteriæ tunc dilatantur quando cor conſtringitur,& conſtringũtur, quãdo cor dilatatur, ſicuti dilatantur quia implentur,non implentur quia dilatantur.

X V.

PVlmones non mouentur propria, virtute, quare dilatantur quia implentur, nō implentur quia dilatantur.

X V I.

MVſculorũ actio propria eſt contractio ad ſuũ principium, extenſio vero eſt actio ſecundaria, & conſequens motum alterius muſculi.

X V I I.

OMnium fibrarum vſus, vt rectè aduertit Falloppius noſter, eſt contractio in expulſionis gratiam; Quare commentitium prorſus eſt, quod rectæ inſeruiant ad attrahendum, obliquæ ad retinendum.

X V I I I.

ALimentum diſſolutum, & a fæcibus aluinis ſecretum per lacteas venas defertur ad Axillares, & exinde ad cordis dextrũ ſinum, vbi excitata efferueſcentia ex permixtione limphæ deſcendentis; & bilis aſcendentis in ſanguinem muta tur.

Ven-

XIX.

VEntriculi actio est alimenti dissolutio, non in aliã substantiam mutatio, quæ dissolutio fit non ope caloris, qui in hoc opere se habet solummodò excitatiuè, sed ope acidi fermenti in illius parietibus congeniti, non per vas breue ad ipsum transmissi.

XX.

DIastole est prior tẽpore systole, quare Cordis motus, cum primò vita incipit, dilatationis est, postmodum constrictionis; sic primò, desinente Vita, cessat ventriculus sinixter a sua cõstrictione, exinde auricula sinixtra, postea dexter sinus, & vltimò auricula dextera à dilatatione desistit, vt hoc pacto in eodem principio, a quo vita desumpsit exordium, in eodem quoq; desinat.

XXI.

AD motum, & sensum perficiendum non est necessarius itus, & reditus spirituum animalium, cum sine ipsis possit animal moueri, & sentire; absque eò quod ad imaginariam spirituum animalium missionem, & remissionẽ sit confugiendũ. In humano corpore sicuti, & in brutorũ corporibus, non solũ partes solidæ, & crassę, vt caro ossa, &c. sunt animatæ, sed etiam partes fluuidæ,

vt ſanguis, & latex neruoſus.

XXII.

CAlidum innatum, de quo tot admiranda prædicātur, cum potius fingatur, quam demonſtretur quid ſit, probabilius eſt poſſe referri in ipſum ſanguinem, & illius motū, ita vt tot opera quæ calido innato tribui ſolent, ſoli ſanguini adſcribi poſſint.

XXIII.

VT hominis generationem ab Ouo, vt dici ſolet, repetamus, non ſecùs fieri illius generationem affirmamus (ſicuti, & pariter omnium viuentium anima vegetatiua, & ſenſitiua) ac fit pulli formatio in Ouo, ita vt omnia viuentia non niſi ex Ouali primordio ortum ducant.

XXIV.

MVlieres vero ſemine ſunt deſtitutæ, & corpora illa, quæ ab antiquioribus Medicis vocabantur Teſtes muliebres, nil aliud ſunt quam fæminarum Ouarium; Non defuere tamen inſignes Anatomici (inter quos Fallopius noſter) qui in teſtibus mulierum negarunt, ſe verum ſemen vnquam obſeruaſſe.

XXV.

FOEtus in Vtero formatio nõ fit ex ſemine, ita vt ex illo, tamquã ex materia, prima ducantur ſtamina partium, quæ appellantur Spermaticæ, ſed ſolummodo a virili genitura fæcundatur mulieris Ouarium, vel per contagium, vel per odorem inſpiratum; quare Caſtorem, & Pollucem ex eodem ouo prognatos, non prorsùs fabuloſum eſt.

XXVI.

LAc ex portione Chili ad mammas per lacteas thoracicas delati, generari magis probabile eſt, quàm ex ſanguine.

XXVII.

CAuſa efficiens ſtructuræ, & organizationis humani corporis non in nudas, & mortuas qualitates, nec in plaſticã facultatem animæ matris referenda eſt, ſed in ſolã bonitatem, & infinitam ſapientiam Conditoris, qui noſcens, quales eſſe deberent animæ ĩmortalis operationes, ipſi propria, & apta fabrefecit inſtrumenta; Cum Galeno itaq; ſentiendum, nõ eſſe tale animal, quia tale, & tale habeat inſtrumentum (vt Leporem eſſe timidum, quia fidat velocitati crurum, quemadmodum

vol-

voluit Anaxagoras) sed habere talia instrumēta, quia talis esse deberet illius natura.

XXVIII.

HVmani corporis pulchritudo, quę in partium symmetria, & proportione consistit, multò maior est in partibus corporis internis, quam externis, sed illa non nisi oculis mentis contemplabilis est; quod si huiusmodi proportio innotescere posset, vt ait D. Augustinus; In *interioribusquoque visceribus, quæ nul*l*ū ostentāt decus, ità delectare pulchritudo rationis vt omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ipsius mentis, quæ oculis vtitur, præferretur arbitrio.*

XXIX.

QVamuis comuniter triplex morborum genus constitui soleat, scilicet in intemperie, in mala cōformatione, & in soluta vnitate, vnicum tamen ex Hippocr. doctrina sustineri potest, scilicet in soluta vnitate.

XXX.

EX eiusdem Præceptoris Sententia omnium morborum internorum causa immediata, & vera, est humorum à reliquis, a quibus contemperantur, secretio, & dissociatio.

XXXI.

AB eadem humorum ſecretione, & partium eiuſdem naturæ accretione fiunt maligni morbi, cum nullum Animal ſit in quo non lateat aliqua veneni portio, vt patet in humano morsù.

XXXII.

CAlor non eſt febris conſtitutiuum, ſed quid poſterius, & illius productum, immó licet vt plurimum calor ſit febris ſignum, non eſt tamen ſignum adeò proprium, vt alijs affectibus non ſit comune; hinc in curandis febribus circa calorem fruſtrà, ac ſine vllo fructu inſudant Medici.

XXXIII.

OBſeruantur in praxi febres algidæ, quarum eſſentia, in frigida efferueſcentia conſiſtit, ex quò magis roboratur opiniò, febris eſſentiam non eſſe in calore conſtituendàm.

XXXIIII.

SOla Pulſus præter naturam frequentia non arguit febris præſentiam, vt mirari ſubeat, quomodo nonnulli

li pro Pulſiſtis ſe apud vulgus venditantes, tam audacter pronuncient, ſe poſſe ex ſolo pulſu, febrium naturam, & differentias pronuntiare.

XXXV.

FEbrium in genere ſatis antiqua diuiſio eſt in febrem Symptoma, & febrem Morbum; Recentiores ſymptomaticas tollunt, & febres omnes eſſentiales adſtruunt; Nos cum Diocle febres omnes ſymptomaticas eſſe affirmamus.

XXXVI.

SAnguinis miſſio quamuis ſit febrium remedium curatiuum, non eſt tamen illarum præſeruatiuum; ſæpius enim celebrata Phlebotomia reddit homines aptiores, vt à febribus corripiantur.

XXXVII.

PRo recta febris malignæ curatione non ſatis eſt cognoſcere aliquam in humoribus ſubeſſe malignitatem, & quodque alexipharmacum indiſcriminatim adhibere, ſicuti non ſatis eſt noſſe fuiſſe alicui propinatum Venenum vt conueniens adhibeatur antidotus.

Pe-

XXXVIII.

PEstis eſſentia, quæ communiter ad qualitates occultas refertur, ſatis commodè explicari poteſt per acrimoniam ſalis volatilis, qui ſanguinis acidum corrumpat.

XXXIX.

DVo apud Medicos prędicãtur magna remedia, Sãguinis miſſio, & Purgatio, quibus tertium addi poſſet, ſcilicet opportuna ab eiſdem ceſſatio.

XXXX.

SImplicia medicamenta ſunt ſemper præferenda compoſitis, cum oſtendat experientia quales ex rerum per mixtione ad inuicem excitentur efferueſcentiæ; quare iuſtiſſima eſt Plinij in Medicos ſuorum temporum querela, propter medicamẽtorum inexplicabiles mixturas ſtomachantis.

XXXXI.

MEdicamenta electiuè, hunc potius, quã alium humorem purgantia, ſunt merum Medicorum ad Artis oſtẽtationem commentum, cum indiſcriminatim quemli-

libet humorem expurgent, prout magis, vel minus irritāt, hinc eſsētialiter non differūt Emetica à Catharticis.

XXXXII.

MVltorum medicamentorum, vt alterantium, & bezoardicorum virtus pendet potius à prçconcepta opinione, quam ab vllo ſenſibili effectu, qui ex diuturno illorum vſu appareat; ſic nonnullorum ex ipſis adeo familiaris eſt vſus, quamuis ſine vllo fructu, vt mirum quomodo tanta ſuppetat illorum copia, veluti ſunt lapis Bezoar, & oculi Cancri.

XXXXIII.

DIffert toto cælo Virtus totius mixti à Virtute partium, quæ ipſum conſtituunt; ſic falsò ſupponitur, quòd ſpiritus, ſales &c. eamdem virtutem poſſideant, ac illa Corpora à quibus fuerunt extracta, vt faciunt ij, qui pro curanda ſcabie ſpiritum Sulphuris exhibent, eò quia Sulphur ſit ſcabiei ſpecificum remedium.

XXXXIIII.

IN ſale (quem Plato in Timeo Deo amicū corpus appellat) omnium medicamentorum virtutem a ſummo Opifice fuiſſe poſitam Autopſia Spagyrica ſatis luculenter oſten-

ostendit, vt disputandum non sit, quænam medicamenta præstantiora sint, Spagyrica, an Galenica.

XXXXV.

VEnæ sectio indicatur a sola plethora, cum non sit excogitabile quam vtilitatem conferat in cachochymia, in quo grauiter peccatur à Medicis Philematicis, qui in quolibet affectu venas exhauriunt.

XXXXVI.

REuulsio per venæ sectionem post inuentam sanguinis circulationem tantum perdidit dignitatis, vt vix locum habeat in Medicina.

XXXXVII.

EAmdem sortem experta sunt multa alia medica præsidia, adeo vt noua, & exacta methodus medendi ad legem circulationis sanguinis sit exoptanda.

XXXXVIII.

SEcundam retentam post partum posse ad multos dies intrà vterum detineri, itavt nec mors sequatur, nec Puerperia supprimãtur, non solum ratio sed etiàm quo

ti-

tidiana demonſtrat experientia; quapropter magis tutum, & ſanum conſilium eſt illam medicamentis excutere, vel illius putrefactionem expectare, quam manù vnà cum Secunda Puerperarum animam extrahere.

XXXXIV.

MEdicamēta Cordialia, quæ paſſim adhibētur, nō ſunt talia quatenus cordi ſuccurrant, ſed quia ſtatū ſanguinis reſtituant, vt aptior ſit ad circulationem, ipſum vel nimis adſtrictum ſoluendo, vel nimis ſolutū adſtringendo; Quarè potius Vitalia, quam Cordialia ſunt appellanda, cum vita in ſanguinis circulari motu conſiſtat.

L.

POſtquam tot eximia experimenta oculis noſtris exhibet Chymia, turpe eſt, ne dicam Medico indignum ad antiquum ignorantiæ Aſylum confugere, ſcilicet ad occultas qualitates, quotieſcunque alicuius maligni morbi eſſentiam, vel ſymptomata explicare conueniat.

Datur omnibus Arguendi locus.

Imprimatur,
Vicarius S. Officij Mutinæ.
Vidit,
Ioſeph Sogarius.

MC